










FASCES
Honoris Capitanealis,
IN
FASCIA MAŁACHOVIANA,
ad felicissimum
ILLVSTRISSIMI
AC
MAGNIFICI DOMINI,
D. ADAMI
de Małachowice
MAŁACHOWSKI,
CAPITANEI OSWIECIMENSIS,
PRÆFECTURÆ SUÆ
INGRESSUM,
luci publicæ,
A
M. ADALBERTO ANTONIO MICINSKI,
In Alma Universitate Cracoviensi Philosophiæ Doctore, Utriusq; Juris PROFESSORE, Contubernij Regio-Jagelloniani SENIORE,
Officiosissimô cultu
Annô vagientis inter Fascias Æterni Verbi 1727.
Die [illegible] Mensis Februarij
DEMONSTRATI.

CRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.

In Avitum Inſigne
ILLUSTRISSIMÆ DOMUS
MAŁACHOVIANÆ.



FASCIA num Faſces omnis connectat honoris,
Scire cupis? vinctam, præpete ſolve manu.
Orbe quot in Lechico cernuntur Signa decorum,
Una ſuô nodô FASCIA cuncta ligat.
Si Regum nitidas miraris abeſſe Coronas?
Harum ſed ſupplet FASCIA nexa vicem.

ILLUSTRISSIME DOMINE,



Aſces Capitanealis honoris, dum fauſto capeſſis omine, me Nomini Tuo obligatum ad gratulatorios invitas plauſus. Aſſurgit quidem in hos triumphaleſq; honori Tuo accendit ignes Ducatus Oſwiecimenſis, ſed & his ſplendoribus atratam præli ſepiam miſceri, patieris. Nôſti utiq; penes ſvaviſſimè canentes Cygnos, obſtrepere anſerem & ſocias quandoq; cicadas adeſſe philomelæ. Scio Tuam Majorumq; Tuorum gloriam idem eſſe phaleratæ lau-

dis cothurno attingere, quod Iovi fulmen, aut Herculi eripere Clavam. Quidquid enim de Te, etiam magnis Oratoribus dicere permissum, infra gloriæ Tuæ ambitum est, qui virtutum Tuarum radiô pene omnia ingeniorum extingvis lumina. Novit Orbis facta Domus Tuæ in Illustrissimis Majoribus luce digna, in Te publico sole. sane: laudes Tuas in hanc paginam inducere, levi folio, ingens pondus. Satis est, quòd permisto Purpuris splendeas sangvine, quòd eò lineas Illustrissimi ortus Tui deducas, ubi & gloriæ & famæ honorisq; punctum situatum. Quare cùm Te innuo, iam omnia dixi, quamvis nihil in hac pagella, quam Tibi devoveo, præter Te ipsum, expresserim. FASCES honoris Capitanealis in Gentilitia Tua FASCIA præsento, sed ut Tu quantocyus eminentiores capessas, ex animo precor

Illustrissimæ Dominationis Vestræ.

Obsequentissimus

AUTHOR OPERIS.



PANEGYRICUS.

PRo honoris aſcenſu, quodſi laborandum ſudandumq; omnium decreverit conſenſus, ego elaboratam atq; gemmeo ſudoris pretio coëmptam titulorum eminentiam majori ſolicitudine decerno aſſervandam. ILLUSTRISSIME DOMINE. Verùm equidem eſt, quòd Superum munus, Cælorum in terris auctoramentum honos, non aliter in ornamentum ac decus venit mortalibus, quàm ſummo ingentium curarum molimine & intenſis in omne arduum viribus impertitus. Imbel-

belles animæ & desidi torpentes otio lacerti relinqvuntur sua quiete enervati, vivaciores solùm spiritus & promptæ ad omnia mentes ad sublimiora invitantur. Et quoniam in omni honoris ascensu per gradus ire adigimur, simul etiam tacitô quodam pactô, ad firmiter formandos gressus & sustinendam tanti itineris molestiam obligamur. Nemini aliter concessum est augustis dignitatum renitere fulgoribus, quàm ut meliori coma spargentem dies Phæbum, continuo meritorum & promerentium maxima laborum motu imitemur. Hinc suas spes frustratas, elusa desideria & frivolam crescendi cupidinem irritam omnis ille vidit, qui non præmisso Majorum suorum suæq; virtutis specimine, speciosum honoris Nomen, ad suos inflectere titulos attentavit. Cui, si fato aliquo, vel cæco exoculatæ fortunæ donario, sine meritis, augusta meritorum præmia advenirent, illum comicô & apparentî potiùs, quàm verô & sincerô honoris contexerunt ornamentô. Sudor in gemmas abeat, & egregiorum operum firma susceptio adamante audiat æstimari, sic

ſic faventia Numina, quàm maximos honores, pretioſis mortalium vendent laboribus. Verùm enimvero minoris negotij munus, non adeò grandis momenti res, dato uno alterove infracti roboris documento, venari dignitates & dulci virtutum modulamine aucupium honorum instaurare. Hic nodus, hic ſaltus eſt; meritis paratos, meritis conſervare titulos. In medijs largè ſtillantium ſudorum fluentis, ac ſi in Erythreo enatos ponto, honorum uniones, pariter fovere ſudoribus. Tam etenim ſtrictam ſudores cum honoribus videmus inire unionem, ut nunquam à ſe divellantur. Circumſtant mille pericula & boni nominis latro, nemini parcere ſciens, livor, ad ipſos honoris excubat poſtes, etiam Herculeis manibus clavam honoris attentans extorquendam. Invidia virtuoſæ mercedis comes, terribilem Meduſæ præſefert faciem, ut à ſublimi eos deterreat, quos eò proba laborum exercitatio invitavit. Sed præter hæc ſervandi in integro honoris obſtacula, ipſa honorum indoles eſt, eſſe ubiq; peremptorios, tuncq; parare abitum, cùm primò fixere

ſtationem. Curſu quodam agitantur Curules, ſphæricoq; Coronæ ac Mitræ motu ab unius Capite, ad alterius verticem devolvuntur. Novimus ſummam Imperij molem primò apud Aſſyrios reſediſſe, ſed mox ad Medos translatam, Perſicam intra breve tempus poſtmodum auxiſſe ſuperbiam. Vltra univerſi opinionem, citra ſuam ſpem, arctos Macedoniæ limites, totius mundi ampliavit dominatus. Sed neq; hic diu univerſalis regiminis ſceptra permanſêre. Victor Orbis, Vrbis unius populus, togata Quiritium gens illa ſibi vindicando, poſtea Marianis, Sullanis Pompeianisq; facinoribus, tantum honorem indoluit amiſiſſe. Eminuit Romana virtus, cùm à devictis gentibus, ſuperatis populis, everſis deletisq; æmulis Vrbibus Imperatores victoris exercitûs Africani, Aſiatici, Germanici, Carthaginenſes Numantiniq; inter triumphales plauſus acclamati. Quid tanti profuere tituli? dum eadem virtus, vel pace obſoleſcens, vel diſcordia interiens, non potuerit, tot bellis quæſitam nominis famam & honorem delatum, omnibus cimelijs

potio-

potiorem, asservare. Romanam, famæ quærendæ excedit activitatem honor optimis quæsitus medijs, sed & similibus ad præsidium & dulce decus Patriæ ac Familiæ conservatus. Sæpe casui ac fatis inventa damus, soli virtuti asservata tribuimus, quæ, quò supra sortem est eminentior, eò nobis opera sua reddit clariora. Feliciora longè illa sunt Regna ac Imperia, quæ suis contenta limitibus, vago in exteros fines impetu non feruntur, sed suæ felicitatis suiq; honoris majestatem prudenti consilio, siq; res exigit, bellô & armis defendunt ac tutantur. Singula augusti honoris insignia, dum pulcherrimam sui speciem animo observari permittunt, simul etiam majus sui pretium, non tam ab inventorum industria, quàm à suorum Conservatorum vigilantia, habere repræsentant. In ipsa ergo operis fronte gratulor Tibi Celsissima MAŁACHOVIORVM Domus, Te illis pridem succrevisse honoribus, ad quorum eminentiam alijs niti temeritas & non probæ virtutis constaret documentum. Excessisti plurimos immortalium operum gloriâ, hinc

meritò in illa honorum ſtetiſti auge, ubi Te multi cenſent non adeundam, ſed prono cultu adorandam. Quod in Te rariùs ſuſpicit Orbis, hoc in Te maximè jubet ac mandat celebrandum. Quod in Te ſupra aliorum laudem eſt, hoc elogijs maximis optat ſub ſidera efferendum. Sæculorum jam, non temporum definivimus intervallô, ut intra Tua ingreſſus honor auguſtalia, non in atrijs ſolùm accendit Majorum ceras, ſed ſingulos Familiæ Tuæ Viros reddit Illuſtriſſimos. Ille tamen Celſiſſimis Tuis receptus laribus, rara virtute, rariori exemplô nunquam dimiſſus, æternùm ſe Tibi obligavit. Quærunt quidem alij retinendi honoris nodos, & vix non Gallicani Herculis conducunt torques, ſervire ſibi magìs cogentes honorem, & qui ingenuas & liberas mentes decet, faciunt Domi ſuæ catenatum. Felicior longè es, cui præſtò FASCIA, quâ & ligari poteſt & ſvaviter honor retineri; intra cujus orbitam, minimè orbus, & intra cujus orbem, cuperet eſſe Vniverſus. En & hodie Regum vices ſupplens Capitanealis dignitas FASCES ſuos MALA-

CHO-

CHOVIANIS ingerit meritis, non ordinatiùs alibi pulchriùsq; eos viſura, quàm in FASCIA. Quare inter publicos Regni & Ducatuũ ZATORIENSIS & OSWIECIMENSIS principales plauſus, ad nova MAŁACHOVIANÆ gloriæ incrementa, penes omnium in unum congeſta vota, Faſces honoris Capitanealis in FASCIA MAŁACHOVIANA adorabimus. Dum itaq; decretos virtuti Tuæ Faſces ad augendum Domus Celſiſſimæ decus, ad continuandam longo ordine ductam à Majoribus Tuis honorum ſeriem, à Capitaneali aſſumeris poteſtate PRÆFECTE ILLVSTRISSIME, erectæ in plauſus Tuos promptitudini, in FASCIÆ Tuæ Orbe, benevolus locum impertire.

Id omnium probè ſentientium votis Subditorum, plebisq; vel maximè deſiderijs ſemper poſcebatur, ut honor ſibi cæteros ad parendum obtemperandumq; obligans, etiam ipſe in tanta præcipiendi imperandiq; libertate, ligaretur. Quæ etenim ſupra hominum genus ſublimior eminet poteſtas, illa vel ideo ſic in alto ſita eſt faſtigio, ut ſibi infra poſitum vul-

 gus,

gus, ne ruat in vetitum cupiatq; negata, còërceat, còërcitumq; intra legis limites & terminos retineat. Quemadmodum enim Orbis hic non aliter, quàm ad motum & nutum dirigitur Cælorum, Cæli in ſua gyratione ſuis Intelligentijs obtemperant, ita Majoris Mundi compendia homines, juremeritò non abſq; imperio vivere permittuntur. In tam pulchrum & penè admirãdum parendi imperandiq; ordinem vix hucuſq; humanas res compoſitas cerneremus, ſi ſumma poteſtas impotens, & quò ſublimior honos, eò ſolutior noſceretur. Hinc ne & ille juſti excedat limites, legibus circumſcribitur, ſic juſtiùs ipſe alijs præſcripturus. Ne in omne effundatur nefas, æqvum eſt, ut juris contra ſe inſtituantur actiones. Lex igitur potentiæ & honoris ligamentum, ſolutioris imperantium vitæ nodus, laudandum majeſtuoſæ licentiæ repagulum, bene eſt quòd ſua promulgantibus mandata, etiam & ipſa recta jubeat ac præcipiat. In Celſiſſima MAŁACHOVIORVM Domo inſtructus omnibus ſui Inſignibus honor, ſæpè ampliſſimos Palati-

natus,

natus, protenſos Diſtrictus, latepatentes Terras, quinimo integras gentes in ſui deflexerat obſequium, nec tamen Licurgi ſancitis Solonisq; arctatus legibus normam, ſe, aliosq; regendi, non magìs ex Codice, quàm ex deſcripta meritis Illuſtriſſima FASCIA novit ſe didiciſſe. Domi habet, quô ipſe obligetur, nec Gordios aliunde requirit nodos, quibus Inſignia Faſcesq; ſibi conſtringantur. Quippe cùm unita virtute, nihil fortiùs, aggregatîs dignitatibûs, nihil pateat eminentiùs: tantã firmitudinẽ rerũ, tam ſplendida decora adunans MAŁACHOVIANA TÆNIA facilè alios ligandi honoris modos ſuperat; cùm ipſa ſit in hoc genere principalis

Non prima hæc Faſces Tuos PRÆFECTE ILLVSTRISSIME FASCIA Tuâ conſtringendi occaſio, per Faſces numerans Avos, Faſces in FASCIA contemplaris. Quàm congruum: ad magna natæ indoli Tuæ, externis non regi exemplis, ſed domeſticis informari. Priùs Faſces ſcire gerere, quàm manu prehendere, alijs eſſet gloriæ exceſſus, MAŁACHOVIIS penè congenita virtus. Nam

ut quondam in LiviæCæſarumMatris gremium lauri ramum prætervolans demiſit Aquila, qui terræ inſertus ac in totum ſoboleſcens lauretum, tamdiu viguit, quamdiu Auguſta Cæſarum ſtirps ſupervixit. Pariter aurea inæſtimabilis vitæ Veſtræ momenta, anni, luſtra & Olympiades, ſolis honorum acceſſibus notabiles, nunquam in proventu magnarum dignitatum ſterileſcunt. Antequam enim lumen fidei Poloniæ illuxit, in umbris illis luce ſplendebatis meritorum. Antequam Eccleſiam Chriſti, Matrem ſuam agnovêre Lechiadæ, Vos Patriam, Vos lares defendiſtis. Poſt Majorum Veſtrorum ceræ, facilè ſe in obſequium fidei inflexerunt; facilè lucem veritatis concepêre, pridem jam eximijs facinoribus illuſtriſſimæ. Cum alijs Gentis Veſtræ Inſignijs acceſſiſtis ad Chriſtianæ vitæ fontem, ubi gloria Veſtra fuit, aliorum Armorum pati jacturam, ut FASCIAM mereremini. Quod igitur in ſignum fidei recepiſtis Inſigne, id poſtea ad ſtringenda honorum Inſignia convertiſtis. Nulli hactenus in Polonia conſpecti Fa-

ſces,

ſces, qui Veſtræ FASCIÆ nexum effugerent, ita, ut ſcrutatori animo nova dubij opponatur difficultas: Faſces ne à FASCIA Veſtra? an FASCIA à Faſcibus ſatis ſplendidum Nomen mutuetur? Vtrumq; eſse non diffiteor, qui, ab ipſa Stemmatis MAŁACHOVIANI origine, ſemper honoribus claros, Faſcibus graves MAŁACHOVIOS, non ignoro. Interceſſit proinde mutuum Faſcium cum FASCIA commercium, quinimo tam inſolubilis nexus, ut cùm facto nequeant, nec etiam nomine ſeparentur.

Admittunt ad partem gloriæ ſuæ Celſiſſimi MAŁACHOVII Illuſtriſsimas alias Familias, vel potiùs eâdem Gentilitiâ FASCIA cum pluribus Gentibus connectuntur Oſtrorogij, Zbąſcij, Samotulij, Czárnkovij. Omnes Nałęcio Inſigni celeberrimi, à primis fidei initijs ad hæc uſq; tempora rerum geſtarum laude, ſublimibûs honorum gradibûs nemini ſecundi. Quantùm ipſi excellunt, tantùm MAŁACHOVIANÆ Domui ſuperaddunt celſitudinis, à qua etiam decorem FASCIÆ derivârunt. Fabios abſtulit una dies; jam

ſæcula, jam integrum mente percurrimus ævum, ut ad Patriæ decus, ad publicæ rei tutelam & præſidium, nullo iniqui temporis atterendi motu NALĘCIJ ſupervivunt. Vt enim Romanis in more poſitum fuerat, poſt audaciſſimos Accenſos, infractos Triarios, etiam ad jamjam præcipitem victoriam, immortales cohortes reſervare; ita Numine quodam factum eſt, ut Polonia Latiæ libertatis æmula, etiam proclamatis totius univerſi victoribus ac triumphatoribus, non pervia, ſervile non docta ferre jugum, aliquas videat Gentes & Familias. Videt, videndo veneratur præſenti ſæculo, videreq; poſt longas annorum myriades exambit Celſiſſimos MAŁACHOVIOS, quibus ſuæ incolumitatis ſtabilitatem largô honorum pretiô penſat. Benigniori ergo ſuæ Lucinæ favore, non tam è faſcijs, quàm è FASCIA, ad Faſces evoluti Nalęcianæ Familiæ Theopompi, per nitentes Clypeos perq; minantia tela ad usq; Imperatorias volvebantur clavas. Quot milites in prælio fortes, Equites ſtrenuos in acie Polonus numeravit Orbis, ex FASCIÆ Orbe

eos-

eosdem ſatetur prodijſſe. Ex hac FASCIA evoluti Supremi Exercituum Duces, ad normam præmiſſorum operum & quæſitarum, cum proprij ſangvinis diſpendio, victoriarum exemplar, Polonum confirmabant Gradivum. Imò quodcunq; de NALĘCIA ſtirpe requiris Nomen, illud vel Pontificijs elatum Tiaris, vel magnis comes honoribus, vel certè aureo optimi in Patria Civis annotatum manſit charactere. Sereniſsimorum ergo Poloniæ Regum honor, quomodo unquam inter bella & motus periclitari poterat? qui hâc FASCIA levabatur. Quomodo Civium omnium incolumitas, etiam ab hoſtium armis læſa, ingemiſcere poterat? cùm ad velanda vulnera ſalutiferam illicò NALĘCIORUM FASCIAM haberet. Quas igitur Coronas ob ſervatos Cives, ob defenſam Patriam magna meremini Nomina? poſt Civicas, Murales, Obſidionales, in ſudantis pro bono publico frontis Veſtræ coronamentum, capacem omnis pretij, & jam hôc renitentem habete inſtructam Faſcibus, FASCIAM GENTILITIAM.

Vſq; ad aliorum invidiam Regnorum,

 ferax

ferax præclarissimarum Familiarum Polonia, simulq; tam illis felix, ut si bellîs aliîsq; motibûs fractus illi illaberetur Orbis, impavidam ideo non ferirent ruinæ, quòd habeat illos, quibûs præsentibûs in periculo sublevetur. Meminit Patria Græcam in fædifragis Russis fidem, sincera suorum Incolarum fidelitate punitam. Meminit Crucigerorum superbiam adeò viribus inclinatam Sarmaticis, ut vix vestigia illorum hodie Pruthenicis legantur in arvis. Nonne Svetici Leonis impetum, Cosacorum motus, Othomanicam potentiam & quidquid adversi imminere nobis poterat, Lechiadum robur compescuit imperterritum. Non immeritò etenim sua nobilitatis signa, fortitèr gestorum tesseras, Poloni àrma vocarunt, nisi se ad tutandam Patriam promptos testarentur. Hinc in Patriæ commodum vigiles excubant Leones, cataphracti plurimorum Ducum adsunt Equites, non desunt gladij, turres quinimò eriguntur. Vt aditum hostibus præcludant, plenis erumpunt flumina alveis, & veluti quid novi ex Africa ad nostràm vocaremus defensionem, Dracones

& Sa-

& Salamandræ, Leopardi & Tygrydes contra barbaram hoſtium feritatem cicurantur. Si lanceas & Clypeos, ſi ferrô munitas manus, ſi ſagittas induxero? non alius belli requireretur apparatus, quô Polonia certas Nomini ſuo pararet victorias & ipſos triumphos expugnaret. Quis hic MAŁACHOVIANÆ uſus FASCIÆ, quod telæ hujus, inter tot arma telaq; commodum? Non Eoi Seres operam, non longinqui Arabes huic contulêre TÆNIÆ pretium: MAŁACHOVIORVM texa meritis, diſpertitis Sarmatarum laboribus quæſitam Nominis gloriam, una poteſt retinere. Poſt cæſos in acie hoſtes, poſt truncata, invidis ſpiritibus animata corpora, quid noſtræ ſupereſſet gloriæ? ſi, pretium virtutis Polonæ victoria, non eſſet ad rei memoriam penè æternam hâc FASCIA involuta. Vincere & evincere trophæa, commune multis non ignorat, qui Alexandros, Julios Cæſares, Boleslaos Audaces, Crivouſtosq; mente aſſumit revolvendos; ſed famam vincire immortalem volubile in æthera Numen, quô non fugaciùs quidquam, ſoli MAŁACHOVIORVM

concessum TÆNIÆ. Horret ergo hostilis metus à Sarmaticis gladijs vulnera, à Leonibus impetum, à Clypeis suas vires expugnandas, quæ facta, certô temporum limitantur intervallô, ligandi verò se ad servitutem & adstringendi virtutem ad perennem sui ignominiam, in Celsissimis MAŁACHOVIIS exhorrescit.

Quò major itaq; externis à FASCIA prodiret terror & suis crevisset Tæniæ reverentia, omnigeni honoris in tantum adimplebatur Fascibus, ut omnes circuitu suo, quod rariùs, sine ambitu, ambire censeatur. Rei evidentiam Sagô & Togâ illustres Viri & suo inducti ordine reddent manifestam. Illustrissimus NICOLAVS MAŁACHOWSKI, Castellanus Rospiriensis, non aliter inter Fasces Patriæ & in augustum Poloniæ lectus Senatum, quàm illô maturus judiciô, à cujus gravitate verè Senator; quam ante heroicorum operum exercitiô defendit Patriam, eandem consiliô sublevabat. Nullum hic vitæ suæ decursum, sine gloriæ absolvit passu. Vegetam juventutis suæ ætatem & floridum tempus in Martio transegit Campo, nec

ta-

tamen inter crebros Bellonæ furentis marceſcens ignes rerum agendarum experientiâ ad Senatoriæ dignitatis effloruit ornamentum. Commentô quondam antiqui prodidêre vates, quòd amor Phæbi Daphne, in laurigeras converſa frondes, quæ olim cor demulcijt Apollinis, ejusdem poſt tempora coronavit. Activior hac virtute inter Poloniæ ſidera, Familiæ ſuæ nitore clarus, meritorum jubare almus, Illuſtriſſimus FRANCISCVS MAŁACHOWSKI, Caſtellanus Siradienſis apparuit. Pulcherrimam honoris ratus indolem & venuſtam dignitatum faciem conſpicatus, ſic eaſdem motu meriti & virtutis proſecutus, ut illi ceſſiſſe debuiſſent in coronam. Vir alti profundiq; judicij de Regno meritus, Regni Tribunal, urgentibus Palatinatuum votis ingreſſus, ſententijs ſuis exceſſibus pænas irrogando, innocentiam ubiq; tutam, etiam ad ſeveriorem Supremæ Themidis gladium, evicit triumphantem. In Illuſtris ac Magnifici D. NICOLAI MAŁACHOWSKI, Dapiferi Lancicienſis gloriam ſic benignioribûs Cælum roravit

 influ-

influentiîs, ut generosæ virtutis illius contactum, feliciori sorte, quàm olim Phrygio evenerat Regi, omnia redderentur pretiosa. Inter Gentilitiæ FASCIÆ orbem, Fasciati Orbi; sui ampliator, non defuit Illustris ac Magnificus D. ALEXANDER MAŁACHOWSKI, Vexillifer Siradiensis. Ad Gaditani olim Herculis aram conspecta Julio Macedonis imago & illius quasi ignaviam arguens, crebras elicuit lacrymas. Parem gloriæ invidiam moveat in alijs ALEXANDER hic MAŁACHOVIUS, cujus fama, non tam Aquilæ suæ pennis, quàm meritorum impulsu per latissimas septemtrionalis mundi oras ferebatur. Non nobis Roma Coclites, Mutios, Curtiosq; proponat & quæ olim incertam belli Albani aleam tribus Horatijs commiserat, etiam Poloniam in Illustribus STEPHANO, JACOBO, MARTINO, STANISLAO MALACHOVIIS HEROIBUS, semper extitisse victricem & triumphatricem non invidendo videat & fortitudinis miraculum, ad infractos ausus in MAŁACHOVIANA annotatos FASCIA obstupescat. Non immerito igitur ad summos in Republica Fasces, emerita belli

pacis-

paciſq; ſtudijs MAŁACHOVIORVM virtus invitata, jure collati honores ijs, quibus honor Patriæ cordi cùm fuiſſet, etiam in vulnera pro Patria, Gentilitiâ poſt involvenda FASCIA provocavit. Quæ ergo incolumitas Poloniæ, ſangvinis hæc MAŁACHOVIANI venit diſpendiô; quæ noſtrarum integritas rerum, hæc retenta TÆNIA Domus Celſiſſimæ. Non ultra admirationis terminos hactenus Celſiſſimorum MAŁACHOVIORVM procedere, conſpecta virtus; nam ſæcularibus admoti officijs, quod par fuerat, ſalutem ſuam ſaluti litando Patriæ, optimorum Civium munus adimplerunt. Excederet fidem temporum, niſi memoria adhuc ſuperviventium teſtaretur, quantùm Patriæ, quantùm Eccleſiæ Celſiſſimus, Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. IOANNES MAŁACHOWSKI, Epiſcopus Cracovienſis, Dux Severiæ profuerit. Pontificem ſic ſe geſſit, ut & Civem referret. Non ſufficere ſibi ratus Epiſcopum, hoc eſt ſpeculatorem eſſe, prudentiſſimæ perſpicaciæ illa conjunxit opera, quibus ſuam Reſpublica operam per illum non doluit amiſiſſe.

ſiſſe. Futurus aliquando Præſul, corda Archipræſulum gratioſus IOANNES gratiſſimo ſui amore occupavit. Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi OLSZOWSKI & TARNOWSKI; ille primus Poloniæ Princeps, hic Ruſſiæ Primas, cùm fuiſſent inter ſe planè eodem Celſiſsimi honore, uni tertio MAŁACHOVIO pectus ſuum non negârunt. Dotes illius verè floridas liligeris floribus proſecuta eſt Sereniſsima MARIA LVDOVICA è Regibus Galliæ in Sereniſsimorum Poloniæ Regum nata Conjugium, dum apprehendendam duorum Capitaneatuum Gnievenſis & Novenſis poſſeſsionẽ illi commendaſſet. Hæc meritorum documenta Sereniſsimo IOANNI CASIMIRO de IOANNE relata, Referendarium Regni evicere, Nunc adinvicem connexas ſibi tres Gratias candidas & ſubridentes non fingat antiquitas, ſed videat in his, quæ innuo, documentis. Quem etenim IOANNEM ad tam ſublime Referendarij Regni miniſterium IOANNES CASIMIRVS admoverat, eundem IOANNEM, IOANNES III. Culmenſibus & Pomeſaniæ Pontificijs vittis

deco-

decoravit. Zelantem pro Domo DEI Dantiſcana patefecit Commiſsio, qua hæretico furore devaſtatam Eccleſiam, Carmelitanæ reſtituens Religioni & Thorunij, Eccleſiam S. Iacobi recuperans, heterodoxam docuit malitiam, optimos non deeſſe Orthodoxis Præſules; qui, per ſcelus ac nefas erepta, jure reſtituant reſtaurentque. Amor gratiarum earundem mentis fidus interpres eſſe meruit, dum Procancellarius Regni, ut pro Regibus diceret, à Regum optimo IOANNE dictus. Culmenſem Infulam mox in Cracovienſem mutavit Tiaram, ubi quàm bono omine in appendicem Pontificij honoris, Dux ſe vidit Severiæ adorari. Quippe illo tempore, quo totus Chriſtianus Orbis ſupra penè captam ingemuit Viennam, quo omnis Turcarum barbaries Auſtriæ & Hungariæ infuſa, noſtris imminebat ferox cervicibus, ille ad Aras precibûs Aaron, idemq; Ioſue in acie fortitudine, Cataphractam expeditioni Viennenſi junxit militiam. Verè FASCIA ſuâ Gentilitiâ Polonum obligavit exercitum, ut ſolveret Viennam; & Signô ſuô animavit, ut cædem

G ferret

ferret fata minantibus. Paſtor pluſquam bonus, qui, ut & poſt redditam DEO animam gregi ſuo providiſſet, in illius gratiam Culmæ priùs, poſt Cracoviæ PP. Miſſionarios verè Apoſtolici muneris Viros fundavit, introduxit. Inſtitutorem ſuum D. Saleſium Epiſcopum & Principem Genevenſem colunt Religioſæ Moniales à Viſitatione, paritèr Epiſcopum & Principem Cænobij ſui agnoſcunt Fundatorem MAŁACHOVIVM. Hæc Sacra cum Divis æmulatio, cælos jam inflexit Pontifici, Patria opportuno adjuta tempore æternam devovit gratitudinem, quinimo omnia optimi Civis, optimiq; Pontificis geſta, illum notârunt in animis, ſculpſêre in cedro & marmore; fluxa hæc adhuc ſunt, ſcripſêre potiùs in æternitate perennantem. Ad Pontificium honorem præceſſit IOANNEM integrô ſæculô Illuſtriſſimus & Reverendiſsimus DOMINICVS MAŁACHOWSKI, à CLEMENTE VII. Epiſcopus Laodicenſis renuntiatus, Suffraganeus Cracovienſis, quinimo ſuffragium dedit, ut non Vicaria ſolùm, ſed & propria poteſtate MAŁACHOVIJ ſupra Coronas eminerent.

Qui

Qui igitur nutui MAŁACHOVIANÆ non parebit FASCIÆ, cui etiam ipſi Superi Faſces ſuos ſubmiſêre. Sacrum in animas imperium, MAŁACHOVIORVM ſibi vindicavit pietas, & cùm jam ſibi deuinctos habuiſſet Superos, quô pactô Pactis non poterat diſſitarum gentium animos devincire Illuſtriſſimus olim & Excellentiſſimus STANISLAVS MAŁACHOWSKI, Palatinus Poſnanienſis, Tuus Illuſtriſsime PRÆFECTE Patruus. Publicô armatum odiô contra Rempublicam militem, amore erga eandem fecit decertare. Exigebatur pretium à Patria, ille preces interpoſuit. Poſcebatur pro meritis merces, ſed quia violentiùs, ne demerita eveniſſent, intercesſit, vel potiùs inter adverſas partes ſtetit mediator STANISLAVS. Nec meta hæc meritorum illius domeſticos còercere motus, etiam maris æſtum ſedare, Neptuni Regna perluſtrando rarâ Polonis experientiâ ſciverat Clasſium Archigubernus. Nempe ut ſuâ FASCIA ad unum non limitaretur ligandi uſum, in vela hanc explicuit, ad fortunatas Inſulas MAŁACHOVIANI No-

minis gloriã transportando. Ad ſtabilien-
dã Carłovecenſibûs pactîs Poloniæ felici-
tatem, è Polonia Legatus, quam magnifi-
centiã in ſplẽdore Aulæ,quam prudentiã in
ipſo Legationis ſuæ negotio non adhibuit.
Ne ab Oriente ſeptemtrionales Incolæ
timeremus pericula, Othomanicam clau-
ſit Portam, dum cum eadem pacem feli-
citèr concluſiſſet. In Illuſtriſsimi Paren-
tis Tui ADAMI MAŁACHOWSKI, Ca-
ſtellani Inowłodenſis elogia, Arpinates
deberent vocari è Latio, vel à Cecropia
Arce invitari Demoſthenes. Externam
nempe eloquentiam pro ſuis laudibus de-
beret audire laborantem, exterarum Na-
tionum luſtrator perſpicaciſsimus. Cam-
pum Poloniæ Majorum ſuorum meritîs
videns occupatum, aliud meritorũ ſuorũ
inſtaurare viſus Regnum, dum tot Regna
& Provincias, tot Gentes & Populos plau-
ſibilitèr peragravit. Adamatus plurimùm
exteris Magnatibus, reduce in Patriam a-
more, egit reditum ad Senatum. Caſtel-
laniæ Inowłodenſis Curulem exquiſitîs a-
dornando meritîs, in altius faſtigium MA-
ŁACHOVIANAM gravitatem promo-
viſ-

vissct, si, satis præventus, desiderari maluerit, quàm videri in honoribus. FASCIAM suam Gentilitiam ZŁOTNICCIANO LEONI nexuit tunc in Coronam, cùm Illustrissimam Parentem Tuam Præfecte Illustrisſime à magno Heroe victorijs, triumphisq; notissimo Illustrissimo NICOLAO ZŁOTNICKI, Pincerna Regni in vitæ sociam evicisset. Illustrissima nempe MARIANNA de ZŁOTNICCIIS MAŁACHOWSKA, Castellana Inowłodensis felicissima & Natorum & honorum Mater, verior suô sæculô Lucinâ, quæ præter genialem charissimæ stirpi suæ lucem, accendit honorificam. MAŁACHOVIANÆ semel innexa FASCIÆ, licet Magni Parentis Tui fatis solvi potuisset, rarô tamen exemplô uno fidei Conjugalis nexu retinetur. Auges PRÆFECTE Illustrissime solatia illius, dum cum ætate crescis honoribus & incipis annos per Fasces numerare. Habuit olim in votis Illustrissima Parens Tua, Te Filium quàm in sublimi honorum auge videre constitutum, jam nunc illius vota effectu coronas. Non degenerem Te à Magno Parente mon-

 strras,

ſtras, cùm illius virtutis fias Succeſſor legitimus. Iam ille nunquam morituris annalibus inſertâ ſui memoriâ, conclave extinctorum ingreſſus cinerum, ut ex illis Tibi Illuſtriſsime PRÆFECTE gloriæ excreſcat Olympus. Deceſsit è vivis, ſed non totus; nam in Te Filio ſuperſtite ſuisq; glorioſis facinoribus vivit immortalis. Legetur ex Te Filio impreſſus virtutum Illuſtriſsimi Parentis character, nec illum ulla temporum injuria delebit. Ibis duce virtute, per meritorum gradus ad faſtigiatum honoris culmen, creſces in ſolatium Illuſtriſsimæ Parentis Tuæ, imò jam in ampliorem dignitatum ſpem illius erigis animum, cùm Gentilitias Tuas FASCIAS Faſcibus adimpleas.

Auferunt jam omnem mœroris obicem effuſo in lætitiam cordi nexu ſangvinis & FASCIÆ juncti, dum Te PRÆFECTE Illuſtriſſime Faſces honoris videant capeſſentem. Primæ ſunt inter alios Illuſtriſſimæ Sorores, Fraterno Tui devinctæ affectu, quas in omnem, hoc Capitanealis honoris ad poſtes interventu, ire efficis lætitiam. Illuſtriſsimæ ANNA & TERE-

RESSIA; hæc Illuſtris ac Magnifici Domini IOSEPHI MICHAŁOWSKI, Subdapiferi & Iudicis Caſtrenſis Cracovienſis, Areopagum non immutandîs Decretîs, Patriam ſummîs meritîs, ſuam, connexasq; Familias Perſonæ ſuæ gravitate adornantis, Conſors, illa Illuſtris ac Magnifici BOGVSLAI ZŁOTNICKI, Enſiferi Caliſſienſis, heroicîs geſtîs, Martialibûs negotiîs de Republica meritiſſimi, Conjux, ambæ in vota alijs conceſſæ, Tibi PRÆFECTE Illuſtriſſime votîs altiora magnorum bonorum acclinant faſtigia. Parem erga Te animi candorem è virgineo erumpentem pectore collige in Illuſtriſſima ANTONILLA MAŁACHOWSKA, Caſtellanide Inowłodenſi. Tres hæ unius Fratris Charites, nexu ſangvinis ad mutuum obligatæ affectum, jucundis vernant hilarijs, dum Illuſtriſſimus Frater honoribus effloreſcit. Sed quæ cum Illuſtriſſimo ſangvine Tuo ſparſa in alijs vides, collecta in Illuſtriſſima Parente intuere. In hoc vitæ Tuæ fonte, ultra ſexus menſurã; judicij profunditas, animi magnanimitas, altũ Tibi paravêre honorificum. Ab hoc punc-

 cto

cto intra MAŁACHOVIANÆ FASCIÆ Orbem situato, non nudam vitæ superficiem, sed illas protendi Tibi cernes lineas, quibûs, annuentibûs Superûm gratiîs, in ulteriorum tractu annorum, Majorum Tuorum attinges celsitudinem. Longô quidem hi numerandi syllabô, quos si ab ipsa origine recensere vellem? pontum in sepiam, Cælum in paginam flectere deberem. Aliquos solùm innui, & jam eorum meritis gravatum sentio calamum. Sed spectant adhuc ad Te Illustrissime PRÆFECTE, licet in mortales soluti cineres, quia & Tu nexu sangvinis & FASCIÆ illis alligaris. Illustres nempe ac Magnifici IOANNES & NICOLAVS MAŁACHOVIJ: hic Subdapifer Vendensis, ille Pocillator Vielunensis, uterq; meritîs gravis, rectèfactorum recordatione Illustrissimus. Splendida hæc Patriæ & Familiæ decora, nihil præclaris operibus admiscentes umbræ, in primæ magnitudinis evasissent lumina, si modò illustres Viros suus etiam occasus non spectaret.

Verùm melioribus Poloniæ fatis, publicæ optimorum temporum expectatio

ni post

ni post receptos Cælis de hac Celsissima Domo libertatis Assertores, post Heroas Capitolium jam supernum ingressos, concessus est Illustrissimus Dominus IOANNES MAŁACHOWSKI, Capitaneus Opocznensis. Quidquid ille honorificâ suâ apud exteros præsentiâ ad publicam incolumitatem proficuum collegit, quidquid in alijs Rebuspublicis stabile & firmum advertit, illico serijs Patriæ negotijs admotus, ea omnia in illius felicitatis impendit fundamentum. Ex eodem Ducatu, ubi Tu PRÆFECTE ILLVSTRISSIME Fasces honoris suscipis, ad Tribunal Regni Judex Deputatus, commissô functus officiô, egentem innocentiam suîs levabat beneficiîs. In danda sententia gravis, supremi illius judicij stateram pondere sensus sui adimplendo, primô hôc documentô multorum benè merendi tempora visus fuit implevisse. Nunc ad Comitia Generalia Regni ex Palatinatu Sandomiriensi Legatus, ita FASCIA suâ Gentilitiâ uniendos felicitèr animos aggressus, ut exitum Comitiorum videamus felicissimum. Quàm benè suô consiliô pu-

blico profuerit bono, tota jam audivit Polonia, vicinæ Gentes ſtupuêre, Demoſthenis certè fulmina in illius commigrârunt ſvadam, quâ adeò multorum devincebat animos, ut recta ſentientem ſequerentur. Quidquid alij pro juribus Patriæ loqui volebant, ille ſvavior Hortenſiô, refertiſſimâ hybleæ facundiæ ſuæ copiâ, omnem eis dicendi ademit facultatem. Vixiſſet utinam & ex Litavo Orbe ſaltim in ultimo agone illum reducem vidiſſet Celſiſſima, Illuſtriſſima D. ANNA de LVBOMIRIIS MAŁACHOWSKA, S. R. I. Princeps, Palatina Poſnanienſis, ſic leviorem præ ſolatio mortis ſenſiſſet dolorem. Verùm ſuarũ hæc virtutũ Gratia, vel virtus Gratiarum, Celſiſſimum ſuum SRZENIAVAM ex tanto Filio ſolîs exundantem ſolatiîs cùm vidiſſet, aurea æſtimatæ ab omnibus vitæ ſuæ momenta non doluit effluxiſſe. Vivet etenim etiam poſt fata ſuperſtes Celſiſſima Princeps in Filio ſuo Illuſtriſſimo, & qualis, quantave fuit, ex illo (utiq; Filius vera Parentis imago eſt) Orbis leget univerſus. Hic Tibi Magne Præfecte Faſces honoris Capitanealis ca-

peſ-

pesſenti plaudit; & ne à ſolis Faſcibus conſurgere Tibi plauſuum cenſeatur majeſtas, etiam triumphalibus trophæis Illuſtris ac Magnifici D. ANDREÆ MAŁACHOWSKI, Capitanei Smotricenſis augetur Ingreſſus Tui ad Oſwiecimenſe Caſtrum magnificentia. Sæpe hic pro Patriæ commodis in armis excubans, tempeſtuoſo fortunæ ſupercilio ſerenam oppoſuit frontem; miles manu, Dux Conſiliô, Victor bellô. Inter ipſa fermè infantiæ bellaria, bellis aſſvevit; vixq; cunas exceſſit, militaribus cuneis eſt adſcriptus. Vbi alij telas, ille tela gerebat, non eſſe deſidem heroibus virtutē edocendo. Sed ne ſolùm inter magna Heroum heroicorumq; operum nomina emineret, etiam virtutem ſuam in eruditorum acie cenſuit probandam. Legatus etenim ad Comitia Generalia factus, oſtendit, ſe eſſe ex utroq; Cæſarem, Marte ſcilicet & Arte glorioſum. Paribûs, quamvis diversîs, eminet dotibûs & morum gravitate Perilluſtris & Reverendiſſimus D. MICHAEL MAŁACHOWSKI, Canonicus Cathedralis Camenecenſis, in Mokrźko Præ-

positus. Ille in Martis acie, hic in vinea Christi decertat. Ducunt utiq; & illi Castra, qui DEVM Ducem Exercituum seqvuntur, non magìsq; de Patria merentur, qui cædunt hostes, quàm qui hostias. MICHAEL etiam extra Aras, quasi continuus ad Aras vivit, & cùm ad Altare sese devolvit, non studia curasq; intimas, sed locum tantùm mutat. Sistet in sublimioribus Ecclesiæ & Reipublicæ gradibus, quos ut adeat, nil ipsi opus est, nisi ut MAŁACHOVIANIS vestigiîs currat ad sublimia. Tritum est hoc non tam pedibûs, quàm Pedîs iter; & facilè FASCIÆ vittæ sociæ adjungentur.

Post tam extensum Illustrissimorum Majorum Tuorum ordinem, Tu jam ipse Te ingeris PRÆFECTE Illustrissime. Vix aliunde ad occupandum honoris Tui augustal desiderari deberet plausus, cùm sufficientissimum habeas ex Te ipso omnigeni decoris comitatum. Præter sangvinem è Celsissimis Magnarum Familiarum fontibus in Te deductum, optimarum virtutum vigorem exhauriens, pretiô ingenuarum dotum Ingressus Tui paras ma-

gni-

gnificentiam. Gentilitia quidem FASCIA in Arcum Tibi flectitur triumphalem, ſed ad Nominis Tui triumphum alios erigere videris coloſſos, dum in Celſiſſimæ Domus fundamento, unâ cum virtutibus honores Tuos ſuperfundas. Ad ſeria Regni venturus negotia, ludum literarium in Regia Iagellonum præmiſiſti Schola, tanta certè ingenij felicitate, ut alijs fuiſſes exemplar ſtudiorum. Quidquid de Te optimi ſperare poterat Pallas, nunc hoc ipſum gaudet in Te adorari. Non minuiſti Minervæ ſpem, ſed auxiſti. Vidit in Te mentem optimorum capacem, & hodie eventu præſagit in Te honorum plenitudinem. Quod Te externus non viderit Orbis, habemus cur nobis gratulemur. Non rarò hic Polono candori umbras immiſcuit, & obſervatas in ſe maculas, ſæpe in Illuſtriſſimos transfudit ſplendores; à quo Tu remotior, eò Patriæ illuſtrior celſiorq; apparebis. Cùm non mutaveris Cælum, cùm turbidum non ſuperaveris pontum, animum Sarmaticô, addo MAŁACHOVIANO Virô digniſſimum non mutabis. Intra Gentilitiæ FASCIÆ

Orbem, quotquot Illuſtriſſimas Colligatas cernis Familias, tot Regiones credis perluſtrare, totq; Regna tueri, quot Celſiſſima Nomina hâc TÆNIA prehenduntur. Celſiſſimi Duces in OSTROG & ZBARAZ etiam poſt fatalem ſangvinis ſui occaſum, LUNAM ſuam faciunt in plauſus Tibi exoriri. Nitidiſſima in polo Poloniæ POTOCCIORVM Crux ſplendorem, SAPIEHARVM, MICIELSCIORVM Sagittæ, HERBVRTORVM, PRZEREMBSCIORVM Gladij, TARŁONVMq; Aſcia pro Tua gloria decertant. Allucent ſuîs DANIELOVICIj Sideribûs, pretium Domûs, BYKOWSCIORVM Gryphus, ZŁOTNICCIORVM & LANCKORONSCIORVM cuſtodiunt Leones. SZEMBECIORVM, ROZRAZEWSCIORVMq; Roſîs adornata FASCIA, nitorem ſuum habet Faſtis WARSZYCCYORVM Literâ annotatum. Quid totô non celebre mundô ad IORDANORVM Tubas? quid non altum ad Caput DONHOFFIORVM? quid MICHAŁOWSCIORVM Clavi ad quasvis honoris ædes Tibi PRÆFECTE Illuſtriſ-

ſtriſſime non apertum? CZERNIj, LIGEZII, KUCHARSCII, DAMBROWSCII, LACCII, SIEMIENSCIj ad nexum FASCIÆ pertinentes, eandem Faſcibus inſtructam gaudent conſpectui publico præſentari. Cùm in Maternam Illuſtriſſimorum ZŁOTNICCIORVM Domum oculus figitur obſervator, cernit Celſiſſima S.R.I. Principum LVBOMIRSCIORVM Fluenta eandem alluere, KORYBVTHORVM Lunam illuſtrare, CHEŁMSCIORVM Gladium, HERBVRTORVM Enſes, TARŁONVM, TENCZYNIORVM Aſciam, SIERAKOWSCIORVM Sagittas, illimet fammam evincere immortalem. Sub ZEBRZYDOWSCYORVM Labaro honor Tibi militans, non terras ipſe beneficiô BOIANOWSCIORVM Strepæ obequitat, ſed aureo MALICCIORVM dives Vellere, ultra Colchorum promontoria Navi etiam OPALINIANA circumvehitur. Non ſolùm Virgineîs PRZYIEMSCIORVM & OZAROWSCYORVM manibûs erigitur, ſed altiùs MNISCHORVM Pennîs, SZEMBECIORVM & KOBIELSCIO-

RVM Rosîs decorq; ſub ipſos Siderũ axes ſublevatur. Invenit honoris Tui triũphus in LESZCZYNIORVM Vertice, Capitolium, & ad BRANICCIORVM Gryphi vigilantiam, pretium habet dignitas Tua CICHOCCIORVM FASCIA involuta. In BORKOWSCIIS; KONARZEWSCIIS, GOROWSCIIS, ZIELINSCIIS, GRVSZCZYNSCIIS, SLUPECCIIS & penè omnibus Orbis Poloni præclaris Nominibus eam colligis ergaTe promptitudinem, qua Faſces Tui, præter Paternam MAŁACHOVIORVM FASCIAM coronentur, & præter MaternumZŁOTNICCIORVM LEONEM, habeant etiam alibi imperium animorum.

Hîs magnorum Nominum ſuffragiîs Tuîs Majorumq; Tuorum meritîs ad PRÆFECTURÆ OSWIECIMENSIS evectus ſummitatem, bonîs avibûs incipis Faſces in FASCIA ante Te præferri demandare. Non novum hoc magnificentiæ inventum, jam olim Romanis, Regibus, Conſulibus, Dictatoribus uſitatum. Hi etenim cùm ſibi ſummum jus ac ſummam vindicarunt potentiam, partim ad popu-

li ter-

li terrorem, partim ad ſuæ eminentiæ decorem faſciatos ante ſe Lictores præmittebant. Regiæ poteſtatis vices, quas Caſtrenſis ſuſcipis Capitaneus & innata Tibi ab Illuſtriſſimis Majoribus authoritas, utrumq; ſibi uſurpant, ut & Officio metum Faſcibûs incutias & iiſdem ſimul adorneris. In Cauſis, quibus præes, criminalibus, leviores gravioresq; notare licet exceſſus, hinc utriq; malitiæ reſpondens pœna, virgam & ſecures, honoris Tui Inſigne Faſces ſubeunt, utramq; ad moderamen juſti & æqui punituri. Verùm hæc potiſſima ratio eſt, ut Fascia omnium capaciſſima priùs hos ſtringat Faſces, antequam ad ſuſcipiendos altiores majoresq; honores reſolvatur. Ab hac certè FASCIA proximus ſemper Tibi ILLVSTRISSIME CAPITANEE Tuæq; Familiæ ad ſupremos honorum Faſces gradus eſt. Non fruſtra albo reſplendet colore, nã à tot ſæculîs in illa nitidiſſimi candoris virtutes reſidentiam ſibi poſuêre. Videre eſt hìc graves meritîs & titulîs Viros, qui Patriæ prodeſſe conſveverunt. Quis enim ignorat? quoties FASCIA ſuâ deci-

duas ab illius oculis lacrymas abſterſerunt, quoties inflicta publicæ incolumitati vulnera ligaverunt. Iam amplius Imperatrix Vrbium Roma ſuô deſinat gloriari Trajanô, qui ſciſſâ in partes Imperatoriâ Purpurâ cruentas ſuorum militum obligavit cicatrices: FASCIA Illuſtriſſimorum MAŁACHOVIVM non militum modò, ſed quibus vis Patriæ vulneribus ligandis fovendisq; ſufficit una Saturnia in incolumitate Patria numerat ſæcula, quæ illi hujus FASCIÆ nodo adeò ſunt adſtricta, ut nunquam ab illa valeant divelli. Felix certè FASCIÆ hujus nexus eſt, ut vellet ipsô omnis dignitas innodari, omnis titulus ſtringi & omne faſtigium ad evehenda Illuſtriſſimorum MAŁACHOVIORVM nomina inclinari. Propenſum vel erga Te ipſum magni honoris animum PRÆFECTE ILLVSTRISSIME exprimo, cui Tu ideo averſam præbuiſti mentem, ut ad illorum eluctareris gloriam, qui effugiô honorum, honores conſeqvuntur. Ex Palatinatu nempe Siradienſi ad Regni Tribunal communibûs votîs trahebaris Deputatus, invitabaris

pre-


precibûs & enixè publicô expoſcebaris deſideriô. Noluiſti in honorifico curſu Cyllenium agere, potiùsq; cenſuiſti cum gravitate ſummis debitâ Viris iter honorum aggredi, quàm cum cenſura volare levitatis. Arcanum hoc prudentiæ Tuæ ſupra ætatem Tuam maturioris reddunt nobis Superi manifeſtum, quando in Ducatu Oświecimenſi ſuſcipis obire plenum authoritatis munus CAPITANEVS. Fauſto auſpicatoq; omine Faſces Tui Honoris in Tua ibi eminent FASCIA, ubi Regnum cum Imperio, Sarmaticum cum Romano mutuîs confiniîs terminantur. Sic noſtris exterisq; innoteſcet oris, quanta ſit felicitas honoribus, FASCIÆ MAŁACHOVIANÆ orbe limitari. Et inde etiam præſagia Tibi formare liceat fauſtiora, quòd Academicis ideoq; Cantianis inſtructus literis, ibi naſci primum Tibi honorem FASCIA GENTILITIA involvendum contigit, ubi Sancta CANTII cunabula, non literarius ſolùm, ſed & Politicus Poloniæ orbis, uti rerum ſuarum Statoris, veneratur.

Capeſſe itaq; eò tutiùs Faſces PRÆ-

FECTE ILLVSTRISSIME, quò auſpicatiùs anteeuntibûs Majorum Tuorum meritîs, enitentibûs ad ſumma Tuîs virtutibûs, & quod maximum Superîs ipsîs Tuo vicinis honori annuentibûs. Stringe Capitaneales Faſces MAŁACHOVIANA FASCIA tot punctis Heroicorum diſtinctâ operum, quotquot Viros Celſiſſima Tua Domus ad ſuum decus & Patriæ ornamentum numeravit. In filo TÆNIÆ hujus tot Palatinatus, Caſtella, Caſtra, Regni Sigilla & ſacras Præſulum retinentis Cathedras ad paria contende inſignia. Quippe præſentis Dignitatis Faſcibûs & metum alijs incutere potes honoribus, & indole Tua imperare amorem. Aberit honorificis violentia rebus ſic à Te devinctis, quinimo hoc illarũ liberrimũ erit votũ, ut per longæva vitæ Tuæ ſpatia non alibi, quàm
Tuâ MAŁACHOVII emineant
FASCES in FASCIA.








Biblioteka Jagiellońska
stdr0013032

